

agitatio. Pulsus quoq; celer est ac frequēs, sed æqualis & ordinatus, atq; magnus validūsque, nisi ex mærore, vel inedia, vel cruditate, vel denique ex frigiditate fuerit orta. Ab his enim causis diastole maior ac velocior est quàm systole. Calor item nō acris, sed mitis tactu percipitur, qui totus sensim eo ipso die extinguitur, vel miti aliquo sudore madoréque absque vlla graue-olentia finitur. Præterea vrina, & substantiâ, & colore, atque hypostasi parum, aut nihil à naturali distat. Alia febris est putrida: quæ vel continua est, vel intermittens. Rursus continua vna est synochus, altera syneches. Synochus tantisper ægrum fatigat, donec integrè soluta sit: nec enim exacerbatur, nec remittitur. Est autem hæc duplex: vna putredinis expers, quæ à Galeno, libro methodi medendi nono, ephemera plurium dirum vocatur: & velut phlogosis, hoc est simplex sanguinis inflammatio in magnis venis consistens, quæ semper sibi similis toto decursu manet. Interdum continuò ad finem usque crescit: interduin à summo vigore incipiens, sensim imminuitur, dum desinat. Alias à principio ad finem in eodem vigore manet. Huius autem febris notæ hæ sunt. Quæ ephemere, sed aliquantulum molestiores, ob quas totum corpus egri, & præsertim facies inflammatione, ruboréque perfunditur; quoniam à sanguinis.